

8
THESES,

QUAS,

IN EXERCITIUM

STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM,

VENIA AMPLISSIMI FACULT. PHILOSOPH.

PUBLICICE PROPONIT

MAG. CAROLUS REGIN. SAHLBERG,

HISTORIÆ NATURALIS PROFESSOR P. ET O. ATQUE STIPENDIARIORUM
H. A. INSPECTOR,

Respondente

CAROLO HENRICO RINGBOM,

STIPENDIARIO BILMARKIANO, SATACUNDENSI.

In Auditorio Philosophico die XXII Martii MDCCCXX.

horis a. m. solitis.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.



Thesis I.

Quemadmodum inter varias illas res, quæ ad mores hominum fingendos suam conducunt operam, haud minimum habet momentum diversa regionis, quam inhabitant, conditio situsque, sic in vitam & mores cæterorum animalium maximam plerumque exserit vim diversa Climatis natura,

Thes. II.

Etenim si vel propagationem animalium, vel cibum; quem capere solent, vel migrationes, quas certis temporibus aggrediuntur, respexeris, facile videbis, permulta eorum, quamvis ejusdem fuerint speciei, sub diverso cælo inter se valde differre. Quid? quod observatum quoque est, ingenia *Ferarum* quarundam in calidioribus terræ plagis ferociora esse atque immitiora, quam cum eadem temperatam inhabitant zonam,

Thes. III.

Quamvis vero alias quoque esse conditiones haud negemus, quæ ad formam animalium externam magnitudinemque, æque ac ad indumentorum eorum colorem & indolem mutantam, vario modo agant; nulli tamen dubitamus, quin ex duritia vel lenitate Climatis haud parum pendeant frequentes ejusmodi animalium variationes,

Thes. IV.

Thef. IV.

Verum enimvero non in animalia tantum, sed in omne vivum, ideoque in vegetabilia quoque, diversam Climatis indolem vario modo agere, inter omnes constat. Plurimæ nempe plantæ, in diversis regionibus vel cultæ vel sponte nascentes, non magnitudine tantum, colore florum atque majori vel minori setarum pilorumque hirsutia, sed etiam internis interdum viribus ita variare conspiciuntur, ut distinctas sæpe species credideris, quas tamen, examine accuratori instituto, meras unius ejusdemque speciei varietates esse agnosces.

Thef. V.

Pendent sine omni dubio vigor & habitus plantarum externus ex inæquali terræ, cui increfcunt, natura. Climatis tamen vim etiam in his conspicuam esse, vel inde colligitur, quod, qui inspectione plantarum frequentiori exercitati sunt, Botanici, ex habitu illarum concludere sæpius valeant, in qua natæ fuerint regione.

Thef. VI.

Vegetabilia in calidioribus mundi plagis vigentia pulchriora in univcrsum esse, vividioribusque splendere florum picturis & coloribus, quam quæ terras nostras inhabitant septentrionales, contendere quidem moris est. Cuique tamen flori, cuique colori, sua certe inest pulchritudo; atque pretium hocce, quod australibus, præ nostris, tribuimus plantis, ex injusta & perversa illa inprimis, ut credimus, derivandum est opinione, qua exoticas quasvis res rarasque magni æstimare, indigenas vero & quæ sensus nostros quotidie tangunt, negligere & flocci habere solemus.

Thef. VII.

Verissima autem est & experientia Naturæ scrutatorum confirmata illa jam diu facta observatio, quod numerus & ani-

animalium & vegetabilium, in calidioribus regionibus viventium, major fit, quam eorundem, qui sub cælo vegetantur frigidiori.

Thef. VIII.

Licet autem hinc sequi videatur, vegetabilia quævis eo lætius florere, quo propius versus æquatorem translata fuerint, uberiusque illis hoc modo oblatus fuerit calor, per plures tamen esse novimus eorum species familiasque, quæ septentrionale adeo amant cælum solumque, ut, si ad regiones calidiores eas advexeris, vel ægre vigeant, vel omnino pereant.

Thef. IX.

Ad demonstrandam vim climatis in vitam habitumque plantarum, non minus valet eximia illa, & ex uberiore, per longiores sub septentrione noctes, materiæ lucis adfluxu oriunda facultas, qua vegetabilia in borealibus terris, vel culta vel sponte sua vigentia, breviori, ac in australibus regionibus, temporis spatio maturescunt, quam ea ab Oeconomis quibusdam facta observatio, quod frumentorum quædam genera, e borealibus terris ad australes regiones resecta, huncce citius maturescendi morem paullatim deponere videantur.
